nes plerumque huc se conferent: ut inveniant aliena mihi peccata pude-
rem. Adsunt aliqui apud me tres egregii professores bonarum
artium, ubi proximum est, etiam vobis commendentur. Mag-
num beneficium studiis Hotechii: duo alii Witebergae. Quid fa-
ciam? sunt a me instituti fideliter: volunt Ecclesiae servire
fortuna ipsis tam ampla non est, ut in tanta huius temporis
difficultate, sumptibus necessariis superesse possint. Iam de-
cet meis deesse. Vide quaeso vir humanissime numen bo-
eiusmodi bonae spei adolescentibus in angulo quopiam longe esse
possit? Non sicut prorsus inopes: sed tamen fortuna est
angusta, ut sufferre tantos sumptus possint. Scio quam plurimos
esse isthic eiusdem beneficii petaces: Sed non exquiris si-
gno fit Mercurius. Vale Sexto Idus Novembr. 1576. ante
tuam Bremae puerorum custos amicus tuus perpetuo.

Johannes Molanus.

261) M. Jacobo Mylio Heidelbergae

Pax Christi:

[= Mscr. a. 7: Nr. 272]

Video, mi frater et vehementer doleo, isthic quoque bonarum
rerum scenam inverti. Vide unius viri vim. Si quid faciat, quo
velut columine subducto, toti patriae aedificio omnia eodem
motu convulsa corruunt. Recte Lucanus: Diu stare summis re-
bus ait negatum esse. Deus quidem, ut beneficentiae fons per-
ennis, benefaciendo numquam defatigatur. Sed hominum per-
versitate fit et perfidia, ut ille perpetuus tenor benignita-
tis diutius ad eosdem promanare non possit. Iniquitates no-
strae (ait Propheta) prohibuerunt bonum a nobis. Verum enim vero
quisquis illius illustrissimi Principis memor, talem pietatem ante
oculos ponere mecum animadvertet, concludet, opinor: quod tali pieta-
te per totam ditionem, tot annis disseminatum est, quod se tegat,
et radices egit, et corroboratum est, id non continuo quamlibet tur-
bulenta tempestate concidere aut dissipari posse. Quaecunque a
Patre est plantatio, ea evelli non potest. At vero istum prae-
clarae memoriae Principem etiam aemuli, tum quoque quum vi-
veret, fatebantur, divinitus excitatum fuisse in hoc, ut ex multis
corruptelis in sua Germania tam doctrina quam exemplo
plantaret: et late propagaret Evangelii sinceritatem. Quam-
obrem (ut ego quidem confido) huiusmodi maneant doctores con-
iuncti, neque prima statim tentatione, aut fidei constantia de-
iiciantur, nequaquam futurum est, ut piis sacerdotibus
suo loco pulsis. Quod Witebergae accidisse doleamus, [illegible]
le sustinerentur, et Saxonica barbaries in doctrina dilecti
deque elegantis possessionem invadat. Siquid tamen forte
patiemini: sanctorum erit neque supra vires. Fidelis e-
st Dominus. Qui ornavit vos fide: etiam invictae perse-
verantiae dono vos ornabit. Ego quoque hic affligor: quia
reiicere soleo a doctrina de sacra Coena, ut alienas a sim-
plicitate verborum Christi: sophisticas determinationes. Sic
enim vocant Essentiale, substantiale, Naturale. Abominari

(Unquam) eas soleo quibuscunque tandem emplastris emolliantur.
Nihil habent hypotyposin τῶν ὑγιαινόντων λόγων quam retinere
mandat Apostolus tanquam formam atque animam salutaris doctrinae,
sed sunt ζητήσεις, quibus horribiliter laceratae fuerunt Eccle-
siae et Scholae omnibus temporibus: et nunc quoque non minus
atrociter lacerantur: quae dissi jam olim (quod omnes scimus)
in possessionem verborum Sacrae coenae recepta fuissent.
Idolum transsubstantiationis et abominatio consubstantiati-
onis nunquam in Ecclesia Jesu Christi extitissent, quae duo maxi-
me mortifera Daemonia nomine mactant et perdunt sine mo-
do et sine misericordia, optimos quosque fratres nostros et
pientissimas sorores per totum orbem Christianum. Si Dae-
mones ipsos Ecclesiae [illegible] transsubstantiationem dico
et consubstantiationem detestamur (ut omnium malorum
ipsos fontes) Quo quaeso consilio aut qua conscientia determi-
nationem Sophisticam ejusmodi Daemoniorum parentem
sub specie commodae interpretationis in Ecclesia penetra-
bilem recipiemus? Aurum (quod Doctor Albertus dicere
solebat) [illegible] hic est idonea interpre-
tatione adhibita desinet aurum esse? Tales determina-
tiones Dialectici vocant modos, et eas propositiones quo-
rum praedicata afficiuntur vocare solent modales seu modi-
ficatas: nempe quia tales dictiones praedicata quidem
determinant, fideque ostendunt quomodo praedicatum insit
subjecto. Ut quum dico Marcus est disputator, propositio est
pura. Si addam Marcus est disputator subtilis, erit modifica-
ta seu determinata, nec aliud significabit quam Marcum
subtiliter disputare: Ad eundem modum panis S. Coenae est cor-
pus Christi enunciatio pura est. Si adjicies substantiale, fiet
modificata, neque aliud significabit, quam panem substantiali-
ter Christi corpus esse. Inveniunt Theologi nostri alias ri-
mas, per quas elabuntur. Sed ut Evangelium non mutat poli-
tias, sic sacra Theologia regulis artium vim nullam afferre
potest. Clamant me Ramistam, et in Dialecticis plebeium esse,
quod equidem ipsis concedo, et Scholae terminis [illegible],
non contendo, Disputo extra metas meae vocationis. Attamen
non patior conscientia mea sanctam libertatem Spiritus
sui sophismatis determinari. Vestis mi frater, unde in
hunc sermonem inciderim. Et dominus me de schola [illegible]
ut quae constitueram omnia literis mandare non possim.
Vale 13. Decemb. 1576. Bremae manu admodum celeriter.
Saluta eximie Doct. Casparum Olevianum [illegible] vehemen-
ter me solicitant

Juvenum custos, amicus et frater
Johannes Molanus.

262)

[An Wen ?]

Gratiam et pacem à Domino.
Allatae nobis nuncio de principibus illis verae ac summe illu-
stris, atque communis nostri parentis obitu. Re vera
di viri et plurimum observandi fratres: et si per Dei
gratiam non ita fuimus [illegible] qui spem non habent,

[= Mscr. a. 7 = Nr. 275]

[Wohl an Molanus, da auch in Ms. a. 7 enthalten.]